

Dilectissime frater, domine Galle, verbi Dei predicator!

Noli resistere sacramento calicis Domini, quod Christus per se<sup>1</sup> et per suum Apostolum<sup>2</sup> instituit, quia nulla Scriptura est in oppositum, sed solum consuetudo, que, estimo, ex negligencia inolevit. Modo non debemus sequi consuetudinem, sed Christi exemplum et veritatem. Iam concilium, allegans consuetudinem, dampnavit comunionem calicis quoad laicos ut errorem, et qui practisaverit, nisi resipiscat, tamquam hereticus puniatur. Ecce malicia Christi institucionem iam ut errorem dampnat.

Rogo propter Deum, quod non amplius impugnes magistrum Iacobellum, ne fiat scissio inter fideles, de qua gaudet dyabolus. Eciam, karissime, prepara te ad passionem in manducacione et comunione calicis, et sta fortiter in veritate Christi, timore illicito postposito, confortans fratres alios in ewangelio Domini Iesu Christi. Motiva pro comunione calicis, estimo, dabunt tibi, que scripsi in Constancia.<sup>3</sup> Salutabis Christi fideles. Scriptum in vigilia Decem milia militum in vinculis.<sup>4</sup>

---

<sup>1</sup> Cf. Matth 26,26-28; Marc 14,22-24; Luc 22,17-20; Ioh 6,54

<sup>2</sup> Cf. 1 Cor. 11,23-26

<sup>3</sup> De sanguine Christi sub specie vini a laicis sumendo, Op. I, 42r-44r

<sup>4</sup> 21. VI. [1415]